

existentibus; aliud, quod Adversarius mavult, ea facta esse ex non
 apparentibus, i. e. ut interpretatur, ex materia (seu præjacente
 subjecto) invisibili. Apostolica propositio negativa est, particulâ ne-
 gativâ copulam afficiente; Fanatica autem affirmativa est, ne ipsum
 quidem prædicatum, sed determinationem duntaxat infinitam habens:
 qualis autem consecutio non procedit. Sunt quidem Interpretes
 hujus Epistolæ, uti GERHARDUS, HORNEIUS, CHRIST. WITTI-
 CHIUS, LIMBORCHIUS, SCHLICHTINGIUS, alii, particularum
 μή & ἐκ transpositionem euphoniæ causa factam statuentes, sic-
 uti etiam, teste MILLIO Variant. Lection. N. T. h. l. apud GRE-
 GORIUM NYSSENUM legitur: Ἐκ τῶν μή φαινόμενων, unde pro-
 positio, quoad determinationem prædicati, infinita resultaret.
 Quæ sententia quamvis creationem mundi ex nihilo salvam re-
 linquat, præferenda tamen præcedens erit, quâ in consentien-
 tem habemus prælaudatum SCHMIDIUM Comment. in Ep. ad Hebr.
 h. l. dicentem: Apostolum consilio dixisse μή ἐκ φαινόμενων, non ἐκ
 μή φαινόμενων, ut simpliciter neget, non privationem aliquam induce-
 ret, q. d. Ut ea, quæ videntur, fierent, sed non, ut per natura cursum sunt,
 ex iis, quæ apparent. Nec frustra factum, ut φαινόμενων, careat ar-
 ticulo: sed Apostolum docere voluisse, vocem in latitudine maximâ, ne
 quidem ad ea, quæ hodie apparent, restrictam, accipiendam esse, q. d.
 non ex ullare earum, quæ apparent aut apparere possunt. Add. FLA-
 CIUS Gloss. in N. T. h. l.

§. XI.

Fortassis autem postremum hoc argumentum nondum Fa-
 naticorum sententiæ satisfacere videbitur, siquidem & essentia
 divina non apparens seu invisibilis est. Speciatim itaque creaturas
 non ex essentia divinâ emanasse, vel inde constare posset, quod DE-
 us, qui rerum mundanarum originem, quam ex solo Naturæ Lumi-
 ne distinctè cognoscere non poteramus, nobis non ignotam ma-
 nere voluit, sed eam in Verbo revelavit, nec in ipsâ creationis,
 historiâ, nec alibi Scripturarum ullam illius mentionem fecit,
 facturus id sine dubio, si talis revera rerum fuisset origo. E con-
 trario